



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 65. Continua Græcorum dissidia circa unionis decretum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

armorum suorum potentia adegerit, ut a victis pacem in heroicæ suæ virtutis præmium adeptus sit.

Sæcul. XV.
A.C. 1443.

§. LXV.

Continua Græcorum dissidia propter unionis decretum.

Interea Græci Constantinopoli assiduis curis unionis Decretum evertere adlaborabant; quocirca Archiepiscopus Cæsareæ in Cappadocia Hierosolymam petiit, querelas suas delaturus, quod Florentinum unionis Decretum nonnisi turbas, & scandala fuscitaret, nec non Metrophanes Sedis Constantinopolitanæ usurpator, & Latinorum sententiæ fautor, Imperatoris auctoritate suffultus, omnes illos, qui avitæ Græcorum doctrinæ adherent, acriter vexaret, nec alios, quam Latinis addictos, ad ecclesiasticas dignitates eveheret. Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, & Joachimus Hierosolymitanus Patriarchæ hujus Archiepiscopi commentis pronas aures præbebant, ac Synodalem epistolam promulgabant, qua omnes, quotquot Metrophanes sacris ordinibus initiasset, depositos, si vero insuperhabita hac sententia, Ecclesiastica sua munia exercere præsumerent, excommunicatos pronuntiabant, Cæsariensi Archiepiscopo

*Liter. Syno.
Patr orient.
apud Allat.
lib. 3 cap. 4.*

Sæcul. XV. A.C. 1443. piscopo delegata hanc legem exequendi facultate. Data est hæc Epistola Mense Aprili anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio. Aliam præterea sub idem tempus scripserunt ad Joannem Palæologum Imperatorem, qua illum nisi a Metrophanis patrocinio, & Latino- rum sententia discederet, anathemate percellendum comminati sunt.

§. LXVI.

*Papæ Legatus a Russiæ ac Moscoviæ
Græcis carceri datus.*

Cum Synodus ista a quatuor Patriar-
chis nullatenus Imperatoris jurisdic-
tioni, sed infidelium imperio subjectis
convocata esset, Joannes Palæologus jam
aliunde nimium meticulosus, insuper
tanta suorum audacia, tamque atrocibus
minis ultra modum perterritus, a pri-
mævo suo fervore longe magis, quam un-
quam alias remisit, proin totus Oriens
eo pertinacius pristino schismati inhæsit,
quo plus apud Græcos hæc Synodus
valebat, quam præsentia sua omnes Pa-
triarchæ honorabant, excepto Constanti-
politano, quem velut anathemate nota-
tum, atque usurpatorem traducebant.
Sequebantur idem quoque exemplum
Russiæ ac Moscoviæ populi, ad quos
Isido-